


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis septimâ Decembris M. DCC. XXX.

M. JOANNE-FRANCISCO COUTHIER,
Professore Chirurgiæ designato, Doctore Medico, Præside.

An Aër præcipuus secretionum opifex?

I.



A SUPREMO NUMINE itâ formatur homo, ut sese ad quosdam motus agat; ad alios, ab alio agatur. Quidni ad artificiosam, simplicem tamen, partium quibus conflatur, compagem exclamas? Corpus humanum veram machinam dixeris, quæ secundùm leges Hydraulicæ, Statices & Pneumatices movetur. Ubique vectes, trochlæas, vasa, liquores, receptacula & folles cernere est. His, si vis aliqua sedibus ab æthereis accesserit, stupendi se produnt effectus. Si ab initio hominem spectare juvat; quàm dissimilis ab ipso! Punctum erat, quod sensim, impellente fœcundo spiritu, se ad inditos primitùs naturæ motus accingebat. Videre vi-

deor punctum illud saliens, liquoris guttulam jam eructitans, in infinitas lineas productum. Hinc longa & numerosa surgit canaliculorum series, futura futuris secretionibus organa. Hîc arterias, venas, glandulas; illîc nervos, membranas, musculos, tendines & ossa quis non animadverterit? Vasa illa, pro eo quo donata sunt elatere, micant saliuntque perenniter. Ab illis propulsi atque pressi liquores, diversas in partes eundo, variis parant se ductibus & incerniculis. Secretionum jam apparent molimina; jam in actum erumpent, si aut circumfusa, aut intùs latens quædam virtus præsentiæ suæ præbuerit indicia.

II.

CORPORIS humani motuum & functionum causas cupidus inquiris? Ad ejus fabricam recurris; singulas partes sensibus exponere sollicitus curas. Optimè: sed quid præter materiam reperies? Illa de se ad motum iners ab alio moveri indiget. Corpus universum unicum est vas, ità gyris orbibusque complexum, ut idem principium, idem finis. In hoc mirum quantæ fiant operationes! Totum hunc canalem replent humorum latices, qui sui juris non facti, sed solidarum, quibus compingitur ille, vi quam accepêre systaltica fibrarum perpetuò trusi, ad omnes & singulos quos perlustrant meatus se componunt. Ex hoc reciprocanti & alternanti circuitionis motu singula succorum discrimina haud ineptè repetes. Unus est liquor corpus alens & fovens à quo cæteri, tanquam ex scaturigine, ortum habent. Lympham suspicaris? nec malè. Illa ictibus pressionibusque obsequens facilè quascumque figuras induit; quoslibet colores & sapores ementitur. Illa est secretionum penè omnium vera materies. Ex sinistro cordis thalamo violentiùs evibrata, ad extremos usque arteriolarum penetrat sinus, undè reversura statim cum sanguine, nisi peculiares sibi nancisceretur ductus. Hi sunt vasa lymphatica, quæ mille contorta ac complicata modis glandulas constituunt, secretionum organa à plurimis falsò habita. Hæc vasorum & liquidorum symmetria de se tamen deses atque otiosa foret, nisi id quod habere videntur virtutis, ab aliâ causâ acciperent. Frustranea & incassa prorsùs forent eorum conamina, nec quid actionis elicere marte proprio valerent. Subsideret & omnis secretio.

III.

SECRETIO est unius liquoris ab alio segregatio. Quàm varia & multiplex sit secretio, nemo nescit. Ex intestinorum canali per venas lacteas chylus. In Hepate bilis utraque; in Pancreate ejusdem nominis liquor; in renibus lotium; in anfractuosis testium gyris semen; in corticis cerebri *tomento Ruyschii vasculoso* succus nerveus secernitur. Quis ignorat, quid alarum, inguinum, colli, oris, faucium reliquarumque partium glandulis committatur? Omnibus perspecta est cæteris excretionibus copiosior Sanctoriana perspiratio. Sudoris eruptionem quilibet novit. Nota hæc sunt omnia. Verum; sed quâ ratione, quibus auxiliis fiant, perarduum definire. Varia varii

commenti sunt. Attractricem & retentricem vim balbutiunt præteritæ vetustatis asseclæ. Fermenta garrit populus Chymicorum. Archæum jactabat Helmontius; vim obganniebat Willisius explosivam. Hi omnes, quàm à vero procul! Neotericorum plurimi ad fibrarum elaterem diametrum, oscillationes vimque systalticam confugiunt. Ad scopum accedunt quidem sed intactum relinquunt. Paucis datum causas rerum cognoscere. Rem omnem acu tetigeris, si Aëra omnium in homine non modò, sed & in omni vivente, secretionum causam posueris. Verus est ille antiquorum Jupiter; verus (a) Ζεὺς; verus Æther, cujus uxorem Junonem ceu terram dixêre; ut Poëta: a *Phurn. de Jov.*

. . . . . (b) *Fœcundis imbribus Æther* b *Virg. Georg.* 2. *vers.* 324.
Conjugis in gremium læta descendit & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore fœtus.

Aëris est densari, rarescere, *gravitare*, corporibusque subjectis suos impertiri affectus. Illius præsentiâ & elatere oscillant corporis solida. Ejus beneficio fluunt per vasorum mæandros liquores; suaque libentiùs adeunt incernicula.

IV.

At dicet forsan aliquis: undè tantos effectus sortitur Aër? Rem attentiùs perpende. Aëra non malè definieris corpus fluidum, summæ elasticitatis capax, corpora subjecta premens. Ex iis proprietatibus, quicumque in viventi corpore observantur effectus, affectiones & mutationes deducere, errare non est. De elasticitate ne dubita. Hanc demonstrat sclopetum pneumaticum. Vesica in Boylianæ machinæ excipulo, exhausto Aëre ad disruptionem intumescit. Quin & calore longè magis augetur Aëris elaterium. Probant globi è tormentis, accenso pulvere Pyrio, longissimè emissi. Thermometri liquor accedente calore superiùs attollitur. Gravitas ejusdem ex aquâ in anthlias ad XXXII. pedum altitudinem ascendente patet. Hydrargyrus XXVII. pollices altus in tubo vitreo suspenditur. Vasa machinæ Pneumaticæ aptata, educto Aëre, nisi in fornicem arcuata, Atmospheræ pondus sustinere nequeunt. Eccur ergo corpora viventia ab Aëris affectu immunia volueris? Numquid undequàque ab eo premuntur? Numquid cum humoribus corpora pervadit? Fibris oscillatorium motum num impertitur? Eæ pressæ ac motæ fluida in motus agunt; hæc mota incalescunt; iis contentus Aër rarescit & rarescendo se expandit, vasaque dilatat. Unde alternans & reciproca solidorum ac fluidorum oscillatio. Præterea Aër utpotè tenuior extrema vasculorum capillamenta alioquin subsidentia subit faciliùs; eorum parietes ab invicem dimovet, succisque tenuioribus viam hoc modo sternit: his aditum concedit, illis negat aut præcludit. Procul ergo hinc amandantor fermentorum inanes fabulæ. Valeant illa villosa quæ nonnulli fingunt in glandulis pulpamina. Ipsa sunt vasa aut vasorum apices ex quibus mediante Aëre stillant succi, priùs à mole sanguineâ secreti.

V.

ET ſanè tanta eſt Aëris neceſſitas ut nihil in orbe, ipſo abſente vivat. Omne animalium genus, jumenta, volatilia, reptilia, cete grandia, & quidquid complectitur Amphitrite, ejus indiget afflatu. Sua cuique viventium recipiendo Aëri tributa ſunt organa. Cochleæ, muſcæ, vermes, erucæ ſuo modo eum hauriunt. Arbores ejus beneficio creſcunt; namque his

. . . . . . * *Mundi fabricator habendum*
Aëra permiſit. . . . .

Solis calore rareſcens Aër per trachæas ad ſingulas partes ſuccos trudit. In gemmis deliteſcens prima fructuum lineamenta evolvit. Illius benigno influxu *omnis viret ager*; ſæviente verò *emoritur herba.* Quid pluribus? mutato Aëris ſtatu quàm promptiſſimè mutantur corpora. Statum morboſum contemplere *. Arthritici mutatam cœli temperiem experiuntur. Aër humidior & levior fibras laxat nimis; in laxatas partes, impellente interiori Aëre, impetu irruunt humores, unde dolor, tenſio, rubor. Idem de Rheumaticis dicendum. Leviori facto Aëre, ſuffocantur Aſthmatici, ſanguis Aërque interior minùs ab Aëre exteriori preſſus, in pulmones collabentes copioſiùs affluit atque ſua ſuperat repagula. Aër calidior & nimiùm rarefactus liquida corporis diſſipat, aut per loca ad hoc non dicata propellit, dira ſymptomata producturus. His medetur mutata cœli regio. Si æquabilis fuerit Aëris temperies, ſtatus, vis, ſolida placidè agitata oſcillabunt. Aër corpore concluſus nec minorem, nec majorem ab incumbente preſſionem paſſus, naturalem ſolidarum partium rythmum revocabit, ſuccoſque palantes & divagantes ad propria deducet colatoria; adèò ad Aëris nutum agere aſſuetæ ſunt corporis potentiæ.

* *Ovid. Metam. liv. 1.*

* *Aër maximus eſt in omnibus quæ corpori accidunt, & Autor & Dominus.*

Hipp. liv. 1. de Flat.

Cælum turbidum, Aer craſſus humorum redundantiam, impuritatem & motuum languorem cauſatur.

Hoff. diſſ. Phyſ. Med. p. 287.

Ergò Aër præcipuus ſecretionum opifex.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptiſta Boyer.	*M. Elias Col de Vilars, Chirurgiæ Gallicæ Profeſſor.*	*M. Michael-Procope Conteaux.*
M. Deſiderius - Claudius Fremont.	*M. Henricus Beſnier.*	*M. Joan. Claudius-Adrianus Helvetius Regi à ſanctioribus Conſiliis, Medicus Regis, perpetuo ordinarius, Reginæ Medicus primarius.*
M. Petrus-Antonius Lepy.	*M. Joannes Beſſe Dotariæ Hiſpaniarum Reginæ à Conſiliis & Medicus primarius.*	*M. Salvator Cluſcard.*

Proponebat Pariſiis, PETRUS ROUSSIN DE MONTABOURG, Conſtantienſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1730. à ſextâ ad meridiem.

autor.

Typis G. F. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1730.